

& rogatis. Cum multa, & varia litigia fuerint inter D. Bertolinum Aquensem Præpositum ex una parte, & D. Presbiterum Willelmum Trencherium ex altera parte vicarium Ecclesiæ S. Magdalene, & S. Hypoliti de Bellomonte de Nicia super eo, quod dictus præpositus dicebat dictas Ecclesias esse unitas Aquensi Ecclesiæ, & præcipue præbendas, & ideo fructus dictarum Ecclesiarum ad se pertinere, ad concordiam venientes sese compromiserunt in D. D. Oddonem Joannem Aquensem canonicum, & Petrum de Belengio de Uvada, & pronunciaissent dicti arbitri dictum Willelmum eidem præposito dare debere singulos annos festaria XX. frumenti in festo B. M. V. de augusto &c. Ego Albertus Joannes de Belengio Not. &c.

*Abrogatio collationis factæ ab Oglerio Electo Aquen. duarum Ecclesiarum juris patr. capit. Aquens.*

260

MCCXCIII.

Anno Domini MCCXCVIII., die XIII. octobris præsentibus D. Petro Abbate monasterii S. Petri de Aquis. Cum Rev. vir D. Ogerius Aquensis Electus confessus fuerit contra debitum, & justitiam cessisse de facto administrationem Ecclesiæ S. Laurentii, & Clericatus S. Georgii de Uuiliolis de Cassinis, scilicet primam Presbitero Henrico de Uuiliolis, & secundum clerico Jacobo filio Willelmi Costæ dicti loci, & quum certus sit, quod prædictæ Ecclesiæ S. Georgii, & S. Laurentii ad Aquense capitulum pertineant pleno jure tam in institutionibus, quam in destitutionibus, tam per privilegia Romanorum Pontificum, quam per consuetudinem approbatam, & detentam a memoria hominum, & ultra; ecce quod præfatus Episcopus cum nullum jus habeat ad institutionem, & destitutionem, & quod ipsa Ecclesia de ministro, & clerico ordinata erat ab Aquensi capitulo per Baudizonum de Platea Presbiterum, & per D. Fredericum Archipresbiterum Aquensem clericum ejusdem Ecclesiæ, cassat quidquid ad postulationem quorundam fecerat in dicta Ecclesia ecc. Henricus Rachamus Notarius S. P. &c.

*Litteræ Bonifacii PP. VIII. Archipres. Montisbarutii, ut revocet omnes alienationes illegitimas bonorum ad Ecclesiam parochialem Molariarum spectantium.*

261

MCCXCIX.

Anno Nativitatis Domini MCCXCIX., indict. II., die IV. aprilis in villa de Molariis in domo Archipresbiteri super eo, quod frater Percivallus monachus sanctæ Justinæ de Sezadio, procurator Rubei Archipresbiteri Plebis de Molariis, ut patet in carta procuræ facta manu Oberti Testæ Notarii anno MCCXCVIII., indictione XI., die V. octobris acta in Uvada, impetraverit litteras in curia Romana Ven. Patris D. Papæ sigillatas bulla Plumbea &c. vice, & nomine dicti Archipresbiteri. Idcirco dictus Archipresbiter Rubeus tradidit Archi-

presbitero de Montebartio dictas litteras &c. tenor quarum &c.

Bonifacius servus servorum Dei &c. Archipresbitero Plebis de Montebartio salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii Rubei Archipresbiteri Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Molariis Aquensis diocesis precibus inclinati præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea quæ de bonis ad Archipresbiteratum suum ipsius Ecclesiæ spectantibus alienata inveneris illicite, vel distracta ad jus, & proprietatem ejusdem Archipresbiteratus legitime revocare procures, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura . . . compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Laterani idibus Januarii Pontificatus nostri anno IV. Testes interfuerunt &c. Ego Obertus Testa Not. &c.

*20 Assignatio partis fructuum Benef. Paroch. S. Nazarii de Predasco clerico Bellexio.*

MCC C.

262

Anno Domini MCCC., indictione XIII., die Martis IX. februarii in castro Bestagni, præsentibus Petro de Ecclesia, Guillelmo Morando, Guillelmo Gosberto testibus vocatis ante præsentiam nostri Oglerii Dei gratia Aquensis Electi. D. Presbiter Joannes de Villa rector, & minister Ecclesiæ S. Nazarii de Predasco, ut patet carta inde facta manu Leonis Gratarolæ Notarii, quæ sic incipit. Anno Domini MCCXCVII., indictione VIII., die Lunæ ecc. Bellexius de Bellexiis clericus dictæ Ecclesiæ, ut dicunt præsentati ecc. Igitur quum præfatus Presbiter Joannes sciat se secundum facultates dictæ Ecclesiæ debere dicto clerico suo dictæ Ecclesiæ pro beneficio sui clericatus, & præbendæ respondere statuit, voluit, ordinavit, & firmavit idem Presbiter Joannes, quod dictus Bellexius habeat, & habere debeat de cetero, & in futurum a dicto Presbitero Joanne, vel a successore suo omni anno tempore messionum pro præbenda clericatus sui modios tres grani ad mensuram Predaschi, cui actui legitimo nos Oglerius Aquensis Electus nostram, & Aquensis Ecclesiæ auctoritatem interposuimus, & decretum. In cujus rei testimonium de prædictis fieri jussimus publicum instrumentum. Ego Henricus Botatius Notarius publicus Palatinus, nunc dicti Domini Electi Notarius hanc cartam mihi jussam rogatus scripsi.

*Immunitas vectig., & pedag. a Johanne march. Montifer. concessa Eccl. S. Ursi Augustæ ex archivio ejusd. fasc. III. n. XVI.*

MCC C I I.

263

Johannes marchio Montisferrati universis, & singulis iudicibus, potestatibus, & castellanis, rectoribus, ministris, & officialibus terræ suæ præsentem licentiam inspecturis suam gratiam cum salute. Noveritis, quod pro remedio animæ nostræ, & prædecessorum nostrorum Ecclesiæ B. Petri, & S. Ursi Augustæ, & omnibus servitoribus ejusdem